

**36.** *Vögte, Bürgermeister und Rat zu Zwickau beurkunden die Errichtung und Ausstattung des Hospitals vor dem Frauentor durch Kunigunde Zschakan und bestätigen ihr und ihren Nachkommen das zugehörige Patronatsrecht.*

1305

*Original: Stadtarchiv Zwickau, A\*A III 19 Nr. 1 (A); Pergament: 33 cm breit; 19 cm hoch; Plica: 2,8 cm; Besiegung: Das Siegel der Stadt Zwickau an Pergamentstreifen (Abb. im Anhang Taf. 2), Umschrift leicht beschädigt; Rückvermerk (15. Jh.): lehenn briffe ober dii gertenn vom hospitall, was zcu sant Mawritii gehendt, alle dii darzcu zcinsenn. — Abschrift: ebenda, K 1 Nr. 9b I, fol. 1r (15. Jh.) (B); ebenda, III d Nr. 15: Kopialbuch III, fol. 22v–23r (16. Jh.) (C); ebenda, K 1, Nr. 9a, fol. 24v–25v (D), deutsche Übersetzung fol. 26r–27v. — Edition: Herzog, Chronik II, S. 871 f., Nr. 3. — Anm.: Vgl. Nr. 37, 38 und 45. — Zur Sache: Friedrich, Armen- und Fürsorgewesen, S. 2–4; Kahleyß, Bürger und Kirche, S. 165 f.*

Nos Conradus et Fridericus advocati in Zwickauwe, nec non Conradus de Salburg magister consulum ceterique consules infra scripti ibidem scilicet Hans Kugele, Jordanus, Hermannus de Lapidibus, Lupoldus Schoberlin, Hinricus Peter, Hinricus de Lapidibus, Conrad de Herswelt, Hermannus de Glughauwe, Conradus Scriptor, Walterus de Werde et Conradus Springeguth cunctis nostris posteris ac universis Christi fidelibus tenore presentium cupimus esse notum, quod honesta et devota matrona Kunegundis relicta Wernheri Zcakani de consensu venerabilis in Christo presbyteris et domini domini Ulrici Nuenburgensis diocesis episcopi et omnium nostrorum supradictorum in remedium sue anime salubre et omnium suorum tam vivorum quam mortuorum progenitorum intencione pia hospitale ante valvam beate virginis opidi Zwickaviensis voluntarie et libere non coactione cuiuscunque facti de suis suorumque bonis propriis non alienis funditus construxit, quinque marcas reddituum annuatim supradicto hospitali assignando dotavit, unde ius patronatus et collacionis dicti hospitalis accedente consensu venerabilis domini supradicti Nuenburgensis diocesis episcopi omniumque nostrorum supradictorum sibi et liberis suis Petro videlicet Nicolao, Wernhero et Francisco ac eorundem liberis et heredibus, si quos habuerint vel habebunt iure sibi canonico favente et concedente<sup>a)</sup> acquisivit. Predicta igitur Kunegundis in restaurum, ne parrochialis<sup>b)</sup> ecclesia dicti oppidi Zwickauwe aliquo suo iure dicti hospitalis occasione fraudaretur, accedente cum consensu sororum in Ysenberg de duobus ortis, quorum unus fuerat Symonis Egreri, alter situs est iuxta aquam sive Muldam ante valvam, que dicitur Ostirweynstor, censum annualem sepedictum hospitale ab omni iure sepedictae parrochialis ecclesie eximendo iudicio sepedictarum sororum in Ysenberg et nostro competente procuravit. Ita tamen quod plebanus sepius nominati hospitalis, quicunque est vel fuerit, ex nunc in futurum ortos infra scriptos, videlicet ortum quondam Ottonis piscatoris et ortum situm in angulo ex opposito contra pascuam, que dicitur viweyde, et ortum situm ex opposito contra hospitale. Et si quis qua alia bona sepe dictum hospitale habet vel in futurum nomine nostre civitatis et nostro habebit absque exactione libera cum consilio et consensu concivium nostrorum et matura deliberacione prehabita dimisimus et dimittimus. Et sepedictus plebanus sepedicti hospitalis ius habeat collacionis predicta omnia bona hospitalis nominati sicut quicunque alius parrochialis ecclesie plebanus